Bibliothèque numérique
medic@

Cressé, Pierre - candidat / Bourges, Jean de - président. - An Forgensium Aquarum vices supplere possunt Passianae ?

1657.
Paris
Cote : ms 78 n°1070

PARIS biu Santé

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x07x1070

DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ
ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS, XV. MARTII.

M. IOANNE DE BOVRGES Doctore Medico, Moderatore.

1670.

An Forgenſium Aquarum vices ſupplere poſſunt Paſſianæ ?

NON ſemper quod eſt optimum quæri amat; aquis nihil communius, hominiſ vilius nihil. Satim, frigidi humidique appetentiam, ſedat facillimè earum quas ὑπόσιτα vocant, non vini maximè idonei alioquin alimenti liberalior potus. Infinitas propè, nec aliis ceſſuras medicamentis ægritudines ἀνωπρόϊτι ab ipſâ τῶν ὅλων naturâ confectæ perſanant, ſæpeque, quod iis ſolis adeſt, ſanitatem rependunt quàm antea meliorem. Eæ ſunt multiplices ſuis quæque prædítæ dotibus, oculis quædam, aliæ nervis proſunt, aliæ viceribus medentur, quædam pulmonis ac viſcerum querelas levant; omnium verò maximè laudandæ veniunt, quas nemo venæ ſectioni ac purgationi inferiores putauerit, adeò nullam fermè non vincunt ſingularum corporis partium ægritudinem. Sic ſunt Paſſianæ ac Forgenſes, famoſi in præſentiâ nominis, parùm ab invicem diſtinctæ virtutibus, non vni ſolùm affectui, ſed omnibus propè ſanandis, præcauendis etiàm idoneæ. Eximias has dotes ferro maximè acceptas debent ac vitriolo, per quorum natiuas fedes ductæ, quod in iis tenuius eſt ſolutuq; facilius combibunt eâ temperamenti ac mixtionis ratione adeò nobis occultâ, vt nec ad-hùc quantumvis peritus ac audax artifex ad eam attingere potuerit: ſic vermem quatuor elementis conſtare palàm eſt: quæ verò ad illius conformationem opus ſit eorum inter ſeſe compoſitio mixtionisque modus neminem non latet; adeò ſuis voluit nos beneficiis natura nimiùm bona, vel inuitos vti.

ALIMENTVM appellatur quod viuentis partes augere, medicamentum quod eaſdem alterare natum eſt. Huius virtutes duplicis ſunt ordinis; quædam actu, qualis in igne calefaciendi, in glacie refrigerandi cernitur, aliæ potentiâ, quales in calloreo, pyrethro, mandragorâ, deprehenduntur; Quarum cauſam ſi quis Hippocratis αὐτοῦ caldi nempè frigidi, humidi, ſiccique temperiem aſſignauerit, benè putabit; contrà verò ſi eam ἄλογον exiſtimet vt Sceptici Philoſophi & Medicorum Empirici, aut in magnitudines & figuras atomorum vacuique varios ſitus referat, errabit turpiſſimè. Quid cuique pharmaco ſit nominis à vulgo, quid virtutis à prudente Medico requirendum, eas enim certò reperire non mediocris eſt labos. Cauendum vt ne præter naturam frigidum ſit aut calidum humidum ſiccumve quod in experientiam venit, ne inſitam virtutem de nouo acquiſita vitiet: quod per ſe quid præſtet ab eo quod per accidens ſedulò diſtinguendum: de vniuſcuiuſque facultate pronuntiandum, factâ ad id ad quod tale aut tale dicitur comparatione, ad hominem ſcilicet, quem ſanum conſeruare Medicina, ægrotum curare intendit: itaque cicuta nihil refert qui ſtarnum afficiat, videndum quid in hominem poſſit; ſtulti qui ad colores aduertunt vt de temperie iudicent; ſæpe errant qui ſapores confulunt; quod facilè inflammatæ nè ſtatim hominis reſpectu calidum putes ni ἀνεπιμιξίᾳ & πικρὸν eſſe obſeruaueris; nec alterum altero, quia citiùs congelatur, frigidius ni eadem ſit amborum περιφορὰ. Non tamen eſt quòd hæc tantâ cum curâ & ſollicitudine in omnibus experiandis medicamentis obſeruues: nonnullorum virtus tàm eſt in propatulo, vt paucis admodum ſæpe nullis opus ſit ad eam repriendam ἀνοσοῦσιν, ſic nemo vel ex plebe Paſſianas Forgenſeſque aquas expertus non fatebitur eas calorem nimium temperare, obſtructa vaſa aperire, partibus imbecillis ſuam reſtituere τόνον; adeò quas poſſident eximias penèque eaſdem dotes præ ſe ferunt.

SIMPLICIA quædam, ſi ſenſum conſulas, medicamenta; nullum, ſi rationem, reperies: aceruum videtur ſimilare, inſignis tamen eſt illius ἀδιαιρετότητος, tenuiore ſui parte acidâ refrigerat, craſſiore atque aëri calefacit: Sic ſe res habet in aquis tam Paſſianis quàm Forgenſibus, etſi enim puræ parum fidelibus oculis apparerant, medicamentorum tamen anatomen perito ſuam ἀναλυσιν produnt. Iugi itaque ſtudio atque attenta obſeruatione notatum eſt æquo fermè ambas vitrioli ferique teneri dominatu, vt vix aliquid Forgenſes efficiant quod Paſſianæ non præſtent: Suo frigore naturali aluinæ regionis calidam domant intemperiem, hocque nomine mirum in modum hepati ſanguinis primario artifici, meſenterio, lieni, renibus, vtero proſunt, deiectum appetitum ſuſcitant, ſitim temperant, nimias vigilias placidi ſomni conciliatione mitigant: Sod quem vitriolum efficit ἀναστομωτικὸν obſtructa vaſa aperiunt, humores craſſos ac viſcidos purgant, arenulas deturbant: Adſtringendi verò facultate à ferro deſumptâ quas ſubeunt corporis partes, ſi laxiores fuerint ac imbecilliores, mirum in modum reficiunt, vomitus ſanant, ſiſtunt diarrhoeas, vrinæ ἀμετρότητα ſunt remedio, quas quidem ægritudines tam paribus expugnant animis, vt parum interſit à quibus ægroti auxiliares copias ſumamus.

SVBVENIT nec tardò, vt ſimilem ei, quem Forgenſes ſuperauerint, morbum Paſſianæ non curent, imò ſæpè quàm antea acerbiorem efficiant; Ne tamen ideò animum inducas tuum diuerſas eſſe earum virtutes, accuſanda potius venit aut temperies ægroti, aut morbi magnitudo, aut demum in præparatione commiſſus error. Ab illis minùs iuuantur quibus frigida ſiccaque temperies obtigit, quam huiuſmodi aquæ, vtpotè exſiccandi refrigerandique prædítæ virtutibus, fouere atque augere aut, ſi non adſit, creare conſueuerunt: Sæpè eò magnitudinis peruenit ægritudo, vt quouis remedio ipſis etiam Paſſianis ſit potentior, quas tunc temporis potiùs expedit non exhibere quam ſalubertimum præſidium infamare. Plerique ſanitatis nimium auidi minimè præparatum corpus ad eas adferunt, adeóque aut nihil iuuantur, aut, vt ſæpe videre eſt, reduluntur ὀδύναις, qui fortaſſis conualeſcetent ſi ſolum lenioribus epematis ſibi antea ſubduci aluum, venam ſemel aut iterum ſecari paſſi eſſent, blandóque cathartico craſſiores humores euacuari. Non parum refert quâ anni bibantur tempeſtate, omnium ad id commodiſſima eſt quæ ab ortu pleiadum incipit circa Maij decimum diem, ad auctum verò exortum definit cui decimum Septembris diem aſſignant: tunc enim corpora hybernis antea frigoribus denſa, ſolida, compacta meatus laxos habent, humoreſque ad expurgationem parátiores. Hora potationis vna ſit aut altera poſt exortum ſolem, vacuo exiſtente ventriculo, vt ne crudum adhuc alimentum ad hepatis portas ſe ſiſtat aquâ ὑποσιτικὸν vices gerente; à parciori hauſtu ἐφ' ἑνὸς ad liberaliorem ſecundum diuini Hippocratis legem peruenire decet, naturâ ſubitas mutationes æquo animo non ferente. Ab aquarum ſumptione rhedarium, vel à ſuccutiente mediocriter equo exercitium pedeſtri præferendum; ſic enim muſculi abdominis preſſi inteſtinorum veſicæque vim περισταλτικὴν intendunt, minuſque ſudorem, quem non probamus, mouent. Quod ad victus rationem ſpectat, ventriculo tunc temporis vt frequenter euenit, nimium appetenti minimè eſt annuendum itaque poſt mictas aquas alimenta conueniant pauca λοιπὸν ἐπιτήδεια ὑγιεινά, virandus piſcium eſus, barbarum, leguminum, fructuum, vini optimi aquâ non medicatâ, vt quidam volunt, diluti potus non improbandus, cauendum ab animi paſſionibus irritandis; à veneris, quorum cenſet Epicurus ſalubrem nullum tempeſtiuumque vſum eſſe poſſe, omninò abſtinendum.

SI vis igitur quàm aquæ Forgenſes ac Paſſianæ ſimiles ſint ab effectibus æſtimare, attende ſedulò, vt quos in experientiam aſſumis eâdem ſint corporis temperie, eâdem prorſum ægritudine detineantur, pręuia eâdem vtantur corporis præparatione, ſi enim, quod certò euenier, æquè iuuabuntur pro comperto tum habebis eaſdem poſſidere dotes, ſuique vicißim partes agere poſſe. Aquæ igitur Paſsianæ nullibi non bonæ vt Forgenſes; Pariſijs, ipſis Forgenſibus pluris æſtimandæ; hælongiùs diſtant, hùc adlatæ vix quidquam poſſunt, adeò vires habent ex longa peregrinatione fractas: Illæ in ipſo Pariſienſi agro præſtò ſunt; ad eas ægroti nullo negotio poſſunt pergere, aut, ſi nolint, curare vt lecto concluſis ex ipſo fonte ante horam hauſtæ deferantur viribus parum aut nihil imminutis. Quid ſi addam aluum, quod Forgenſibus abeſt, liberiorem reddere, atque adeò eſſe meliores, quod ſanè non mediocre eſſe beneficium fatebere ſi patabis quæ adſtrictam aluum ſequantur incommoda, ab impuris enim quos mittit quaquauerſum vaporibus humores corrumpuntur, ſpiritus inquinantur, vires proſternuntur, imò ipſa, quanquam longiſsimè diſſita mens, quanquam cæleſtis, ipſoque aſſerente Ariſtotele immortalis, in mali trahitur conſortium totaque pertur̃batur.

Ergo Forgenſium Aquarum vices ſupplere poſſunt Paſſiana.

Proponebat Lutetiæ PETRVS CRESSE' Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LVII.

An Forgensium Aquarum vices supplere possunt Passianae ? - page 1 sur 1